Annus XIX - Vol. XIX 3 Novembris 1927 Num. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Constitutiones Apostolicae, p. 361 - Litterae Apostolicae, p. 373 - Homilia, p. 379.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis:* Provisio Ecclesiarum, p. 381 - *S. C. Rituum:* Dubium de lugubri campanarum sonitu, p. 382 - *S. C. Caeremonialis:* Approbantur normae servandae a Cubiculariis Ssmi ab ense et lacerna, p. 382.

Diarium Romanae Curiae: Udienza diplomatica - S. C. del Concilio: Avviso - S. C. dei Riti: Congregazione Antipreparatoria - Segreteria di Stato: Nomine. Onorificenze - Maggiordomato: Nomine. - Necrologio, pp. 389-392.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXVII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Libreria Vaticana — Roma.

Pretium annuae subnotationis
Pro Italia, Lib. 20 — Extra Italiam, *L. it.* 35 —
Pretium unius fasciculi, Lib. 8 —

«*Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur*» (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XIX, n. 11 - 3 Octobris 1927)

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. *Rerum condicio.* - De approbatione Regulae Tertii Ordinis Regularis Seraphici Patris S. Francisci. - *4 Octobris 1927* . 361

II. *Ad sacram Petri Sedem.* - Dismembrationis et erectionis dioecesis Brigantiensis in Brasilia. - *24 Iulii 1925* 368

III. *Ea est in praesenti.* - Dismembrationis et erectionis dioecesis Cafaelandensis in Brasilia. - *21 Iunii 1926* 370

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Supremi apostolatus.* - Separato territorio e dioecesi Krishnagarensi erigitur in India dioecesis de Dinajpur. - *25 Maii 1927* . 373

II. *In illis christiani.* - Ex parte territorii dioecesis Dacchensis in Indiis nova erigitur dioecesis de Chittagong. - *25 Maii 1427* 374

III. *In omnes christiani.* - Erigitur in territorio archidioeceseos Calcuttensis in Indiis nova dioecesis de Ranchi. - *25 Maii 1927* 375

IV. *Ex hac sublimi.* - Distracto territorio ex praefectura apostolica de Zambesia, in posterum de Salisbury denominanda, erigitur praefectura apostolica de Broken Hill in Africa Meridionali. - *14 Iulii 1927* 376

V. *Catholicae Fidei.* - Dismembrata dioecesi de Nagasaki clero indigenae committenda, erigitur dioecesis de Fukuoka in Iaponia. - *16 Iulii 1927* 377

HOMILIA

PAG.

Anno vix elapso. - Habita in patriarchali Basilica Vaticana inter solemnia consecrationis episcopi Nagasakiensis die festo Christi Regis. - *30 Octobris 1927* . . . 379

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 381

S. CONGREGATIO RITUUM

Dubium de lugubri campanarum sonitu. - *21 Octobris 1927* 382

S. CONGREGATIO CAEREMONIALIS

Approbantur normae servandae a Cubiculariis Ssmi ab ense et lacerna. - *1 Iulii 1927* 382

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza diplomatica 389

II. S. Congregazione del Concilio: *Avviso.* . 389

III. S. Congregazione dei Riti: *Congregazione Antipreparatoria* 389

IV. Segreteria di Stato: *Nomine. Onorificenze* 389

V. Maggiordomato di S. S.: *Nomine* . . . 391

VI. Necrologio 392

MONITUM.

Omnes - qui nostrum "Acta Apostolicae Sedis" Commentarium officiale sunt pacti, quibus mense decembri 1927 nomina excidunt et denuo subnotandi voluntas est - ut quam primum subscribant rogantur, ne iisdem ullam missio pro anno 1928 fasciculorum, volumen XX complectentium, moram patiatur.

In renovanda vero subnotatione ut alteram ex fasciculorum schedulis externis mittant, vel numeros designent nomini ipsi praepositos socii iterum rogantur.

Sono pregati i nostri abbonati, ai quali scade l'abbonamento col prossimo mese di dicembre 1927, e che vogliono rinnovarlo, di farlo al più presto possibile, affinchè non sia loro ritardata la spedizione dei fascicoli del 1928, anno XX, volume XX.

Nel rinnovare il loro abbonamento sono pure pregati di volerci inviare la fascetta con la quale ricevono il fascicolo, ovvero ricopiare i numeri che precedono il nome.

Nos abonnés, dont l'abonnement finit en décembre 1927, et qui désireraient le renouveler, sont priés de le faire au plus-tôt, afin qu'il n'y ait pas de retard dans l'envoi des fascicules de 1928, XX^e année, volume XX^e.

Ils sont priés également de vouloir bien, en renouvelant leur abonnement, envoyer la bande sous laquelle ils reçoivent les fascicules, ou recopier les numéros qui précèdent leur nom.

Annus XIX - Vol. XIX 3 Novembris 1927 Num. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE APPROBATIONE REGULAE TERTII ORDINIS REGULARIS SERAPHICI PATRIS S. FRANCISCI.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Rerum condicio ea erat, in Italia praesertim, sub exitum saeculi duodecimi aliquantoque serius, ut, quamvis universe christiana societas in fide consisteret, homines tamen nimis multi, fluxarum rerum cupiditate distenti vitaeque superbia elati, in omnem morum pravitatem erumperent; atque, elanguescente iam caritate Christi, odia usquequaque foverent et civitates ad intestina bella calamitose impellerent. Nihil igitur optatius tum esse poterat quam ut singularis vir a Deo excitaretur qui, virtutum omnium laude praecellens, et opportuna remedia his malis afferret et populos ad christianos spiritus revocaret. Iamvero nemo ignorat societatis eorum temporum emendandae munus praecipue Francisco Assisiensi divinitus demandatum esse, qui effrenatis vitiis studium opponens christianae humilitatis et paupertatis, mutua omnes caritate coniungere studuit. Itaque cum plurimi undique ad tantum virum confluerent discipuli, in immensum sane succrevit Franciscalium Familia, cum ex sodalibus trium Ordinum quos Franciscus ipse constituit, tum deinceps ex iis tertiariis qui, perfectioris vitae cupidi,

communem vitam agentes, *sodales Tertii Ordinis Regularis* nuncupati sunt. Merito igitur hi quoque Seraphici Patris memoriam, septimo exeunte saeculo ab obitu eius sanctissimo, non solum piis supplicationibus sollemnibusque sacris publice habitis, sed etiam actuosioris pietatis propositis laeto animo per hunc annum celebrarunt. Etenim omnes norunt quam diligenter, inde ab instituti sui initio, tertiarii regulares sanctum Francisci spiritum induere contenderint, eundemque in multa religionis et caritatis opera traducere consueverint. Quapropter factum est ut Decessor Noster Leo PP. X, Constitutione data *Inter cetera*, eorum Regulam comprobaret. Atqui, ut in humanis rebus contingit, plura quidem, decursu temporum, quae a Leone PP. X decreta fuerant, vel prorsus obsolevere vel cum quibusdam Codicis iuris canonici praescriptis non omnino consentiunt. Quamobrem necesse fuit ut illa Leonis X lex ad nostra haec tempora itemque ad recentiora Ecclesiae decreta accommodaretur, ut Tertiarii Regulares, aliaeque multiplices votorum simplicium religiosae familiae quae, cum in suum ipsarum institutum Francisci spiritum induxerint et franciscali nomine utantur, Franciscum Patrem quodam modo habent, novum inde incrementum capientes, alacritate vel maiore optime de christiana civilique re mereri pergerent. Itaque legis huiusmodi emendandae munus Sacrae Congregationi negotiis Religiosorum praepositae mandavimus, quae, cum novam *Regulam* franciscali spiritu plenius imbutam et hodierno Ecclesiae iuri congruentem confecisset, eam ipsam Nobis approbandam pro officio subiecit; cuius quidem Legis ea sunt capita quae hic referuntur.

REGULA TERTII ORDINIS REGULARIS SERAPHICI PATRIS S. FRANCISCI

Caput I

Summa vitae religiosae

1. Forma vitae Fratrum et Sororum Tertii Ordinis regularis sancti Francisci, haec est: Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, castitate et paupertate.

2. Fratres et Sorores, ad imitationem Patris Seraphici, promittunt obedientiam et reverentiam Domino Papae et Ecclesiae Romanae. Tenentur etiam obedire Superioribus suis canonice institutis, in omnibus quae respiciunt finem generalem et specialem proprii Instituti (Ex Reg. I et II Ordinis, cap. I).

Caput II

De novitiatu et professione

3. Fratres et Sorores ad hunc Tertium Ordinem recipiendi debent esse fideles catholici, de haeresi non suspecti, in obedientia Romanae Ecclesiae firmi, matrimonio non ligati, debitis expediti, corpore sani, animo prompti, nulla vulgari infamia maculati, cum proximis reconciliati. Et de iis omnibus, antequam recipiantur, ab eo qui recipiendi habet facultatem, sunt diligenter examinandi (Regula III Ord. a Leone X approbata, cap. I), sacris canonibus Constitutionibusque propriis servatis.

4. Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas. Conversi praeterea diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada (can. 565 § 1 et 2).

5. Expleto tempore probationis, qui idonei inveniuntur, ad professionem admittantur.

Caput III

De caritate erga Deum et proximum

6. Remotis per tria sacra vota obstaculis, quae sanctimoniam impediunt, Fratres et Sorores contendant legem divinam implere, quae tota pendet in caritate erga Deum et proximum. Caritas est omnium virtutum forma et vinculum perfectionis. Ad mortificanda vitia, ad proficiendum in gratia, ad consequendam virtutum omnium summam, nihil melius, nihil validius caritate.

7. Magnum signum et adiumentum dilectionis in Christum est frequens, imo quotidianus accessus ad SS. Eucharistiam, quae simul est et sacrum convivium et memoria Passionis eius. Sit quoque religiosarum animarum cura Dominum Iesum, sub mirabili mysterio nobiscum manentem, frequenter visitare ac devote venerari: hoc enim maximum est Sacramentum in Ecclesia et fons inexhaustus bonorum omnium.

8. Probatio autem dilectionis in Deum est exercitium caritatis erga proximum; ideo in vero Christi discipulo caritas in proximum maxime eluceat; omnis locutio sit ordinata, utilis et honesta: ut caritas abundet in opere, necesse est eam in corde prius abundare.

Caput IV

De divino officio, oratione et ieiunio

9. Fratres et Sorores, prout propriae Constitutiones ferunt, digne, attente ac devote divinum officium persolvant. Conversi vero et Conversae dicant duodecim *Pater* pro Matutino et Laudibus, pro qualibet alia hora canonica quinque.

10. Quolibet autem die, nisi legitime impediantur, debent Missam audire, et procurare quod habeant pium sacerdotem ab Ordinario loci probatum, qui illis verbum Dei certis diebus proponat et eos ad poenitentiam et virtutes inducat (Reg. III Ord. cit., cap. IV).

11. Debent etiam quolibet die intra se et Deum, cogitare quid fecerint, dixerint et cogitaverint, seu conscientiae examen peragere; de propriis culpis veniam humiliter petere ac emendationis proposita Deo offerre et commendare (Reg. cit., cap. IV).

12. Curent omnes per frequentem Christi Passionis meditationem devotionis fervorem quotidie nutrire et fovere; Seraphicum Patriarcham sequantur et imitentur, ut valeant et ipsi cum S. Paulo exclamare: » Christo confixus sum cruci ». « Vivo autem iam non ego: vivit in me Christus ». (Gal., II, 19-20).

13. Praeter abstinentias et ieiunia quibus omnes fideles adstringuntur, ea observent quae in propriis Constitutionibus ordinantur, praesertim vigilias solemnitatum Immaculatae Conceptionis et Seraphici P. Francisci.

Caput V

De modo interius exteriusque conversandi

14. Cum Fratres et Sorores huius Fraternitatis dicantur *de Poenitentia*, mortificationis crucem quotidie ferant, sicut vere poenitentibus congruit.

15. Oportet insuper eos ab omni curiositate, tam in vestimentis quam in aliis quibuscumque abstinere. Et iuxta Apostolorum principis beati Petri salubre consilium, depositis ceteris vanis huius saeculi ornamentis, nullum ornamentum corporale portare debent, nisi proprium religiosum habitum (Reg. cit., cap. VI). Tenentur etiam ad clausuram servandam iuxta sacros canones et proprias Constitutiones.

16. Debent quoque esse parci in verbis et locutionibus, quae raro sine peccato multiplicantur. Talis sit Fratrum et Sororum conversatio, ut omnes verbo et exemplo aedificent ac memores sint Dominum dixisse: « Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est » (Matth., V, 16). Pacem annuncient omnibus humili et devota salutatione utentes: et pacem non in ore tantum, sed et in corde semper secum deferant (Reg. cit., cap. VI).

Caput VI

De cura infirmorum

17. Si quis Frater vel Soror in infirmitatem ceciderit, nemo sit qui operam suam adiutricem neget; sed Superiorum erit congruum pro infirmo servitium disponere. Ceteros, tali servitio non addictos, infirmum visitare non pigeat, et consolatoriis verbis confortare. Non tantum infirmis sed et senibus, aut alio modo indigentibus, caritatis officia omnes laeto animo praestent sicut decet seraphici Patris filios.

18. Teneantur potissimum Superiores infirmum vel infirmam monere de infirmitatis poenitentia acceptanda, de vera conversione ad Deum facienda, mortis quoque propinquitatem proponant et iudicii divini districtionem simulque divinam misericordiam (Reg. cit., cap. VII).

19. Postquam aliquis Frater vel Soror ab hac luce migraverit, Superiores curabunt quod eius exsequiae magna cum pietate celebrentur (Reg. cit., cap. IX). Pro anima vero cuiuscumque defuncti statuta suffragia fideliter persolvantur.

Caput VII

De labore et modo laborandi

20. Qui Dei servitio, Spiritus Sancti adiuvante gratia, sese manciparunt, otium fugiant, et divinis laudibus, vel religiositatis aut caritatis operibus fideliter et devote incumbant (cf. Reg. II Ord., cap. VII).

21. Religiosi ideo officia sua propter Deum adimpleant, et quidquid ab eis Superiores exquisierint, prout vires ferunt, devote et fideliter, ut dictum est, perficiant. Viliora etiam, si quae facienda sint, ne recusent; imo libentius quam alia peragant, Seraphici Patris vestigia sequentes.

22. Omnia in caritate fiant, et sanctus Dei amor animos religiosorum ad opera perficienda ita impellat, ut nonnisi pro eius gloria et honore operari eos contingat; et Sancti Pauli Apostoli monitum adimpleant: « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei » (*I Cor.*, X, 31).

Caput VIII

De obligatione servandi quae in Regula continentur

23. Omnia et singula in praesenti Regula contenta sunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum, et nulla sunt obligatoria ad peccatum, mortale et veniale, nisi humano vel divino iure aliquis alias esset obligatus (Reg. cit., cap. X).

24. Obligantur tamen Fratres et Sorores facere poenitentias sibi a Superioribus impositas, quando super hoc requiruntur. Obligantur etiam ad tria vota essentialia: ad paupertatem, iuxta terminos propriorum statutorum; ad castitatem, se adstringendo ad servandum caelibatum et insuper novo titulo, id est ipsius voti, ad abstinendum a quocumque actu, tum externo, tum interno castitati opposito; ad obedientiam, assumendo obligationem obediendi mandato legitimi Superioris ad normam propriarum Constitutionum (cf. Reg. cit., cap. X).

25. Omnes tam Fratres quam Sorores ad religiosi status quem professi sunt praescriptum, vitam instituant et componant, atque in primis, quae ad suorum votorum perfectionem pertinent, fideliter observent. Ea praesertim maxime faciant, quae ad Seraphici Patris caritatem et paupertatem sectandas inducunt: filium enim maxime decet Parentis sui et imaginem et virtutes referre.

CONCLUSIO

Sancti Patris Francisci benedictio

Quicumque haec observaverint, in caelo repleantur benedictione altissimi Patris caelestis, et in terra repleantur benedictione dilecti Filii sui, cum sanctissimo Spiritu Paraclito et omnibus Virtutibus caelorum et omnibus Sanctis. Et ego Frater Franciscus, parvulus vester et servus, quantumcumque possum, confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem, quam habeatis cum omnibus Virtutibus caelorum et omnibus Sanctis nunc et in saecula saeculorum. Amen. (Ex Seraphici Patris testamento).

Nos quidem, veterem legem Leonis PP. X prorsus abrogantes, libenter, saeculo a Francisci obitu septimo exeunte, hanc *Regulam Tertii Ordinis Regularis Seraphici Patris S. Francisci* apostolica auctoritate Nostra approbamus et confirmamus; id fore

plane confisi ut Tertiarii Regulares, iique omnes qui, etsi vota sollemnia ex instituto non habent, religiosam tamen vitam, duce Francisco, agunt, spiritu novae Legis roborati, quemadmodum egregie scribebat Decessor Noster Benedictus PP. XV, *ceteris sodalibus Tertiariis, qui mundi negotiis curisque impliciti* remaneant, *in christiana perfectione colenda* sint *exemplo, eisque tamquam duces ad sempiternam salutem quaerendam* praeire pergant. [1]

Haec mandamus, decernentes, praesentes Litteras et Statuta in eas inserta atque inclusa, firma, valida atque efficacia semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos spectant aut in posterum spectare poterunt, nunc et pro tempore amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet, etiam speciali atque individua mentione dignis. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis atque excerptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die IV mensis Octobris, in festo Sancti Francisci Assisiensis, anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

DE SPECIALI MANDATO SS.MI

C. CARD. LAURENTI,
S. Congreg. de Religiosis Praefectus.

FR. ANDREAS CARD. FRÜHWIRTH,
S. R. E. Cancellarius.

Ioseph Wilpert, *Protonotarius Apostolicus, Decanus.*
Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

(L. ✠ P.).

Reg. in Canc. Apostolica, vol. XXXVI, n. 87.

[1] Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XIII, p. 131 (N. M.).

II

SANCTI PAULI IN BRASILIA ET CAMPINENSIS

DISMEMBRATIONIS ET ERECTIONIS DIOECESIS BRIGANTIENSIS

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad sacram Petri sedem, divina dispositione vocati, ea, per quae divinus cultus et christifidelium spirituale bonum, continuum suscipiant incrementum, volumus in Domino statuere, piis supplicum votis libenter etiam annuentes. Iamvero convenientes venerabiles fratres hodierni Archiepiscopus Sancti Pauli et Episcopus Campinensis in parili voto utilitatis erigendi in finibus suarum dioecesium novam dioecesim in civitate Brigantiensi, supplici prece uterque Ordinarius id a Nobis fieri postulant.

Porro Nos, de consulto venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis Consistorialis Patrum, habito quoque favorabili voto Apostolici Nuntii apud Brasilianam Rempublicam, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersist vel sua interesse praesumant, consensu, et prae oculis quoque habentes quae in Apostolicis sub plumbo Litteris *Ad universas orbis Ecclesias* diei vigesimaeseptimae mensis Aprilis anni Domini millesimi octingentesimi nonagesimi secundi Apostolicae Sedi hac de re reservata fuerunt; de Apostolicae potestatis plenitudine Nos a praedictarum dioecesium Sancti Pauli in Brasilia et Campinensis territorio partem seiungimus ac inter earum fines novam dioecesim *Brigantiensem* in Brasilia nuncupandam erigimus.

Cuius vero fines iidem erunt ac fines parochiarum, quae ipsi, ut infra, assignantur ac attribuuntur, videlicet ex parte archidioecesis Sancti Pauli, parochiae vulgo *Bragança*, *Piracaia*, *Atibaia*, *Ioannopolis*, *Bom Iesus dos Perdões*, *Nazareth*, *Juquery* (excepta eiusdem nominis statione viae ferreae, in decursu itineris quod vocant *S. Paulo Railway* quae adnexa permanet archidioecesi Sancti Pauli, iuxta fines municipii civilis), *Jarinú*, *Itatiba*, *Tuiuty* et ex parte dioecesis Campinensis, parochiae vulgo *Socorro* et *Barra Mansa*. Neo-dioecesis sedem et cathedram in urbe vulgo *Bragança* erigimus ac ibi in cathedralem ecclesiam evehimus ecclesiam Mariae Ssmae sine labe originali Conceptae dicatam. Cui noviter erectae cathedrali Ecclesiae eiusque pro tempore Episcopis tribuimus honores, insignia, favores, iura ac privilegia, quibus aliae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites in America Latina iure communi, vel legitima consuetudine pollent ac

fruuntur; ipsam vero cathedralem Ecclesiam, constituimus suffraganeam metropolitanae Ecclesiae Sancti Pauli in Brasilia, eiusque pro tempore Episcopos iuri metropolitico eiusdem Sancti Pauli Archiepiscopi subiicimus, reservata tamen Nobis et Apostolicae Sedi facultate libere novam decernendi istius dioecesis dismembrationem, quoties id in Domino opportunum visum fuerit. Quum autem temporum adiuncta prohibeant quominus in praesenti canonicorum Capitulum in hac dioecesi noviter erecta instituatur, iubemus ut, loco canonicorum, ad normam canonum 423 et sequentium Codicis iuris canonici, dioecesani Consultores eligantur. Mandamus insuper ut, quamprimum fieri poterit, saltem parvum Seminarium dioecesanum, iuxta Codicis decreta ac Sacrae Congregationis de Seminariis normas erigatur utque ipsius dioecesis sumptibus, duo delecti iuvenes aut saltem unus in praesenti, in Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe, non intermissa vice, mittantur. Quod vero attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi servanda iubemus quae sacri canones decernunt. Quod autem ad clerum in particulari spectat, statuimus ut simul ac dioecesis erectio facta fuerit, eo ipso presbyteri censeantur adscripti Ecclesiae illi, in cuius territorio legitime exstant. Omnia insuper documenta et acta novam dioecesim respicientia, quamprimum fieri poterit, a cancellariis archidioecesis Sancti Pauli et dioecesis Campinensis tradantur cancellariae dioecesis Brigantiensis, ut in eius archivo serventur. Episcopalem mensam constituent Curiae emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis erecta est, praeberi solent, praeter ea, quae ad hoc iam collecta sunt.

Quae autem hisce Litteris, Apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, nulli hominum, nullo unquam tempore, infringere, aut iis repugnare, vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis.

Ad haec autem exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Henricum Gasparri, Archiepiscopum titularem Sebastensem, in Brasiliana Republica Apostolicum Nuntium, tribuentes ei necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum, in ecclesiastica dignitate constitutum, ac definitive sententiam dicendi de quavis occurrente difficultate vel oppositione, imposito onere ad Sacram Congregationem Consistorialem intra sex menses a data praesentium computandos, fidem authentica forma exaratam, absolutae exsecutionis huius Nostri mandati transmittendi.

Decernimus denique has praesentes Litteras valituras contrariis quibuslibet etiam peculiari et expressa mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo quinto, die vigesima quarta mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno quarto.

✠ C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *S. C. Consistorialis Secretarius.*

O. CARD. CAGIANO, *S. R. E. Cancellarius.*

Ioseph Wilpert, *Decanus Protonotariorum Apostolicorum.*
Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXXIII, n. 64. – M. Riggi.

III

BOTUCATUENSIS

DISMEMBRATIONIS ET ERECTIONIS DIOECESIS CAFAELANDENSIS

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ea est in praesenti Botucatuensis dioecesis conditio ut, ob crescentem in dies fidelium numerum, in tam latis finibus, unius Episcopi cura et inspectio non sufficiat ad subveniendum tot ac tantis fidelium necessitatibus. Quapropter venerabilis frater Carolus Duarte Costa, hodiernus eiusdem dioecesis Episcopus, cum consilio venerabilis etiam fratris Leopoldi Duarte Silva, Archiepiscopi metropolitanae Ecclesiae Sancti Pauli in Brasilia, humiliter proposuit ac petiit ut dioecesis divideretur, novaque alia prope civitatem Cafaelandensem erigeretur.

Porro Nos, de consulto Eminentissimorum Patrum Sacrae Congregationis Consistorialis, habito quoque favorabili voto Apostolicae Nuntiaturae apud Brasilianam Rempublicam; suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, consensu, et prae oculis habentes, quae in Apostolicis sub plumbo Litteris *Ad universas orbis Ecclesias* die vigesimae septimae mensis Aprilis anni Domini millesimi octingentesimi nonagesimi secundi Sanctae Sedi hac de re reservata fuerunt: de Apostolicae potestatis plenitudine, Nos a praedictae dioecesis Botucatuensis territorio partem seiungimus, ac inter eius fines novam dioecesim *Cafaelandensem* nuncupandam erigimus.

Cuius vero fines iidem erunt ac fines paroeciarum, quas ipsi, ut infra, assignamus et attribuimus. Paroeciae autem hae sunt: *Cafelandia, Araçatuba, Avahy, Batalha, Biriguy, Calmon, Glycerio, Iacanga, Lins, Pennapolis, Pirajuhy, Presidente Alves, Promissão, Soturna.* Neo-dioecesis sedem et cathedram in urbe *Cafelandia* statuimus, simulque in cathedralem erigimus exstruendam ecclesiam a Sancta Elisabeth de Hungaria nuncupandam, atque concedimus, donec ipsa aedificata fuerit, ut interim tanquam cathedralis adhibeatur ecclesia ibidem Beatae Mariae Virgini a Monte Carmelo et Sanctae Elisabeth de Hungaria dicata. Cui noviter erectae cathedrali Ecclesiae eiusque pro tempore Episcopis tribuimus honores, insignia, favores, iura ac privilegia, quibus aliae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites in America Latina iure communi, vel legitima consuetudine pollent ac fruuntur. Ipsam vero suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Sancti Pauli in Brasilia, eiusque pro tempore Episcopos iuri metropolitico eiusdem Sancti Pauli Archiepiscopi subiicimus, reservata tamen Nobis ac Apostolicae Sedi facultate libere novam decernendi istius dioecesis dismembrationem, quoties id in Domino opportunum visum fuerit. Quum autem temporum adiuncta prohibeant quominus in praesenti in dioecesi canonicorum Capitulum instituatur, Nos iubemus, loco canonicorum, dioecesanos Consultores ad normam can. 423 et seq. Codicis iuris canonici eligi. Mandamus insuper ut, quamprimum fieri poterit, saltem parvum Seminarium dioecesanum, iuxta Codicis decreta ac Sacrae Congregationis de Seminariis normas, erigatur, utque, ipsius dioecesis sumptibus, bini delecti iuvenes, aut in praesenti saltem unus, in Pontificium Seminarium Pium Latinum Americanum de Urbe, non intermissa vice, mittantur. Quod vero attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones decernunt. Quod autem ad clerum in particulari spectat, statuimus ut simul ac dioecesis erectio facta fuerit, eo ipso presbyteri censeantur adscripti ecclesiae illi, in cuius territorio legitime exstant. Omnia insuper documenta et acta novam dioecesim respicientia, quamprimum fieri poterit, a cancellaria dioecesis Botucatuensis tradantur cancellariae dioecesis Cafaelandensis, ut in eius archivo serventur. Episcopalem mensam constituent Curiae emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis erecta est, praeberi solent, praeter ea quae ad hunc finem iam oblata et collecta sunt.

Ad haec autem exsecutioni mandanda deputamus praefatum venerabilem fratrem Leopoldum Duarte Silva, Archiepiscopum Sancti Pauli in Brasilia, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi,

ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere eidem imposito ad Sacram Congregationem intra sex menses transmittendi authenticum exemplar peractae exsecutionis. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem omnino tribuatur fides in iudicio et extra illud, quae hisce Litteris Nostris tribueretur, si originaliter exhibitae, vel ostensae forent.

Decernimus denique has praesentes Litteras valituras, contrariis quibuslibet, etiam peculiari et expressa mentione dignis, minime obstantibus.

Quae autem hisce Litteris Apostolica auctoritate a Nobis decreta sunt, nulli hominum, nullo unquam tempore ac quacumque ex causa, infringere, aut iis repugnare, vel quomodolibet contraire liceat. Si quis vero, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat se obnoxium evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo sexto, die vigesima prima mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno quinto.

✠ C. Card. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *S. C. Consistorialis Secretarius.*

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

Dominicus Iorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Vincentius Bianchi-Cagliesi, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXXIV, n. 68. – M. Riggi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SEPARATO TERRITORIO E DIOECESI KRISHNAGARENSI ERIGITUR IN INDIA DIOECESIS DE DINAJPUR.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Supremi Apostolatus officium, quo nullis quidem meritis Nostris divinitus fungimur, postulat ut sedulo studio illa decernamus, quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant, et quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti, bene, prospere ac feliciter eventura videantur. Iamvero cum Krishnagarensis in Indiis Orientalibus dioecesis dignissimus Praesul, venerabilis frater Sanctinus Taveggia, qui iam ab anno MDCCCCVI dioecesim eandem naviter moderatur, Nobis humiliter exposuerit opportunum esse, immo fere necessarium, praedictae dioeceseos territorium in duas partes dividere, quarum altera territorium proprium dioecesis ipsius Krishnagarensis remaneret, altera vero novam efformaret dioecesim proprio Antistiti committendam: Nos, id in christiani nominis incrementum apprime cessurum rati, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis religiose perpensis, Praesulis supradicti optatis ultro libenterque concedendum censuimus. Quae cum ita sint, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, Krishnagarensem in Orientalibus Indiis dioecesim ita dividimus ut ab illa dismembretur et separetur territorium, quod complectitur plagam septentrionalem fluminis vulgo *Gange* et constat civilibus districtibus de *Dinajpur* (unde novae dioecesis nomen) de *Rajshahi*, *Malda*, *Bogra*, *Rangpur*, *Jalpaguri*, nec non Statu de *Cook-Behar*, quem indigenae populationes fere totum inhabitant. Hoc autem territorium, sic per Nos separatum ac divisum ab illa dioecesi Krishnagarensi, erigimus in novam atque sui iuris dioecesim, cui nomen facimus *de Dinajpur*, quam suffraganeam volumus archidioecesis Calcuttensis, et quam supra descriptis finibus interclusam (haud tamen quod attinet dismembratam dioecesim Krishnagarensem) committimus curis Missionariorum Pontificii Instituti Mediolanensis a SS. Petro et Paulo, atque a SS. Ambrosio et Carolo.

Haec statuimus ac volumus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque

integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Maii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

EX PARTE TERRITORII DIOECESIS DACCHENSIS IN INDIIS NOVA ERIGITUR DIOECESIS DE CHITTAGONG.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — In illis christiani orbis regionibus in quibus, favente Deo, convaluit christiana res, expedit ut, aucto pastorum numero, fidelium gregis bono satius sit consultum. Hac mente cum dioecesis Dacchensis in Indiis Orientalibus, propter nimiam territorii extensionem et stationes missionum feliciter auctas, ab unico non amplius valeat regi pastore, et venerabilis frater Iosephus Legrand, Episcopus ipsius Dacchensis dioecesis, Nos enixis precibus flagitaverit, ut partem meridionalem dioecesis illius iuxta sinum orientalem de Bengala dismembrare, atque in dioecesim independentem erigere, auctoritate Apostolica, velimus: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis religiose perpensis, dicti Episcopi votis ultro libenterque concedendum existimavimus. Quae cum ita sint, motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, a Dacchensi dioecesi in Orientalibus Indiis partem meridionalem iuxta sinum orientalem de Bengala dismembramus sive separamus, atque ex hoc territorio, sic per Nos disiuncto, novam independentem dioecesim erigimus sive instituimus, cui nomen facimus de *Chittagong*, eandemque suffraganeam volumus archidioecesis Calcuttensis et curis religiosorum Sanctae Crucis provinciae Canadensis concredimus. Propterea volumus ut haec nova dioecesis de *Chittagong* complectatur civiles districtus de *Chittagong*, *Noakali Hill*, *Chittagong-Bakergani* indigenas status de *Lushai Hills*, divisionem de *Arakan*, ac subdivisiones pariter civiles de *Madaripur* et partim de *Gopalgani*.

Haec mandamus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari: sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Maii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

ERIGITUR IN TERRITORIO ARCHIDIOECESEOS CALCUTTENSIS IN INDIIS NOVA DIOECESIS DE RANCHI.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — In omnes christiani orbis regiones, etiam longo terrarum marisque tractu disiunctas, oculos mentis Nostrae convertimus ex hac divi Petri Cathedra, quam divinitus obtinemus, et quae rei sacrae procurationi melius expediendae conducant, sollicito studio decernere maturamus. Iamvero cum numerus catholicorum in regione vulgo *Chota-Nagpur* in Indiis Orientalibus adeo feliciter creverit ut conveniens admodum videatur, ut proprio gaudeat pastore, ideoque venerabilis frater Ferdinandus Perier, Archiepiscopus Calcuttensis, a qua archidioecesi dicta regio *Chota-Nagpur*, quamvis non exiguo disiuncta intervallo, spiritualiter dependet, a Nobis enixe postulaverit ut illud territorium, a Calcuttensi archidioecesi dismembratum, in dioecesim independentem erigeretur: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis accurate perpensis, laudati Archiepiscopi votis ultro libenterque concedendum existimavimus. Quare, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, territorium complectens civiles districtus de *Hazaribagh*, *Ranchi*, *Palamau*, et *Singbhum*, quoad partem occidentalem, nec non feudales status de *Gangpur-Bamra-Donai* in Orissa regione, de *Saraikela et Kharsawan* in Chotae Nagpuris territorio, nec non de *Changkhakhar Korea*, *Sirguja*, *Jashpur*, *Udaipur*, *Sakti*, *Raigarh* in centralibus provinciis Bengalae, ab archidioecesi Calcuttensi dismembramus: idemque

territorium sic per Nos separatum in dioecesim independentem erigimus, et a civitate ***Ranchi*** nomen ipsi dioecesi facimus. Hanc vero novam de ***Ranchi*** dioecesim suffraganeam volumus Calcuttensis archidioecesis, eandemque Patrum Societatis Iesu Belgicae religiosae provinciae curis committimus.

Haec statuimus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Maii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

DISTRACTO TERRITORIO EX PRAEFECTURA APOSTOLICA DE ZAMBESIA, IN POSTERUM DE SALISBURY DENOMINANDA, ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE BROKEN HILL IN AFRICA MERIDIONALI.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Ex hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra, quam, nullis quidem meritis Nostris, divinitus obtinemus, in omnes, vel longo terrarum marisque spatio seiunctas ab hoc catholicae Fidei centro, regiones oculos mentis Nostrae, tamquam e sublimi specula convertimus, et quae rei sacrae procurationi melius gerendae videantur expedire ea sollicito studio decernere maturamus. Iamvero cum ad maiora Fidei incrementa promovenda in amplissimo Rhodesiae territorio in Africa Centrali opportunum visum sit consilium regionem, quae ad septentrionem versus praefecturae apostolicae Zambesiae ad hanc usque diem adhaesit, ab eadem distrahere et in praefecturam separatam erigere: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec, quae infrascripta sunt, decernenda existimavimus. Nimirum, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, e missione Zambesiae territorium Rhodesiae septen-

trionalis seiungimus, atque ex hoc territorio, sic disiuncto sive dismembrato, novam erigimus apostolicam praefecturam, cui nomen facimus *de Broken Hill*, et quam Patribus polonis Societatis Iesu committimus. Hanc vero novam praefecturam apostolicam constitutam volumus e territorio districtus civilis Rhodesiae septentrionalis, nec non e duobus territoriis, die VII mensis Februarii anno MDCCCLXXVIII et die XXVIII Iulii anno MDCCCCXXVI, praefecturae Zambesiae addictis, nempe e parte territorii Angolae ad dexteram 22[1] meridiani et e parte vicariatus apostolici Nyassae ad sinistram 31[1] meridiani sitis. Statuimus denique ut nomen veteris praefecturae, a qua distractum est territorium praefecturae apostolicae de Broken Hill, loco Zambesiae sit *de Salisbury*.

Porro haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Iulii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status*.

V

DISMEMBRATA DIOECESI DE NAGASAKI CLERO INDIGENAE COMMITTENDA, ERIGITUR DIOECESIS DE FUKUOKA IN IAPONIA.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Catholicae Fidei per universum orbem terrarum amplificatio suavi animum Nostrum laetitia perfundit, et nihil antiquius Nobis est quam ex hac sublimi specula, e divi Petri nempe cathedra quam divinitus obtinemus, in longo terrarum marisque tractu ab hoc Fidei centro disiunctas regiones oculos mentis Nostrae convertere, et quae ibidem rei sacrae gerendae melius expedire videantur, suprema Nostra auctoritate decernere. Iamvero minime Nos latet dioecesim Nagasakiensem in Iaponia, curis Societatis Parisiensis pro exteris Missionibus concreditam, eiusdem Societatis impenso studio et conspicuis operibus excultam, fidelium numero et sacerdotum indigenarum copia feliciter his postremis

